

**PROPERCE**

**Livre II, XXXI**

Quæris cur ueniam tibi tardior ? Aurea Phœbi  
porticus a magno Cæsare aperta fuit.  
tantam erat in speciem Pœnis digesta columnis,  
inter quas Danaï femina turba senis.  
Hic equidem Phœbo uisus mihi pulchrior ipso  
marmoreus tacita carmen hiare lyra ;  
atque aram circum steterant armenta Myronis,  
quattuor artificis, uiuida signa, boues.  
Tum medium claro surgebat marmore templum,  
et patria Phœbo carius Ortygia :  
In quo Solis erat supra fastigia currus ;  
et ualuæ, Libyci nobile dentis opus,  
altera deiectos Parnasi uertice Gallos,  
altera mærebat funera Tantalidos.  
Deinde inter matrem deus ipse interque sororem  
Pythius in longa carmina ueste sonat.